

422 PHARMACOPOEIA MATRITENSIS.

urinam pellit : miscetur etiam in uncturis nervinis, antihysterics, & aliis.

Dosis Olei pro usu interno à guttis sex ad octo.

Salis volatilis à granis octo ad viginti.

Spiritus à semisrupulo ad semidrachmam.

Simili modo distillantur

Gagates,
Tacamahaca,
Gummi Ammoniacum,
Mastiche, & similia.

CAPUT V.

DE SPIRITIBUS SUB-ACIDIS.

SPIRITUS, ET OLEUM TARTARI.

R. Tartari contriti, libras quatuor.
Immitte in retortam capacem amplo instructam receptaculo, igne leni distilletur phlegma, donec nebulae prodeant albæ, phlegmate abjecto, restitutoque receptaculo, & juncturis obseratis, gradatim augeatur ignis ad summum gradum, ut Oleum exeat, dein igne semoto, infrigidatisque vasis, Oleum foetidum à spiritu (charta emporctica duplicata, ac humectata) separetur. Spiritum igne arene rectificatum, in vase clauso ad usum serva.

Incidit, attenuat, resolvit, obstructions reserat, sudores movet, atque urinam ciet.

Dosis à semisrupulo ad drachmam unam.

Oleum rectificari potest, ut aliquam foetoris partem

deponat, & ad varios externè deservit usus, in Unguentis permistum: scilicet ad scabiem, tumores duros resolvendos, & artuum dolores mitigandos.

Caput mortuum calcinatum inservire potest ad *SAL TARTARI FIXUM* conficiendum.

Simili modo Spiritus, & Oleum omnium Salium essentialium extrahi possunt.

SPIRITUS, ET OLEUM LIGNI GUAJACI.

R. Rasuræ Guajaci, . . . quantum volueris. Immitte in retortam vitream benè lutatam, ita ut tertia pars remaneat vacua, & in furno reverberii, amplo applicato recipienti, distillatio incohetur; primum lento igne, ut calefiat, & phlegma exeat, usquequò guttæ nullæ ampliùs appareant; abjecto phlegmate, receptaculum denuò imponatur, obseretur optimè, ignisque gradatim augeatur, sic spiritus prodibit, & Oleum sub nebularum forma: vasis refrigeratis, Oleum nigrum à Spiritu, per chartam madefactam, separetur: spiritus igne arenæ in cucurbita vitrea rectificetur.

Spiritus sub-acidus urinam ciet, atque sudorem.

Dosis à semisrupulo ad semidrachmam.

Oleum supra cineres, sive ossa calcinata rectificandum: ad externos inservit usus, ut ad dolores venereos, vulnorum mundificationem, fungosarum carniū absorptionem, ossium cariem, & squamationem multum prodest; ad dentiumque dolores, optimo cum successu applicatur.

Ex capite mortuo, more solito, *SAL FIXUM* elicitur.

Pari modo distillantur

Ligna Buxi,
Juniperi, & similia.

OLEUM CERÆ.

R. Cera flavæ, libram unam.
 Pulveris tegularum, libras duas.

Liquefacta Cera, tegularum pulverem permisce, remove ab igne, & assiduè agita, donec refrigeret, ex qua materia nondum obturata, globuli formentur, qui ex retorta vitrea igne arenæ distillantur: prodibit Oleum cum phlegmatis pauxillo, quod abjiciatur: Oleum cum tegularum pulvere commistum rectificetur, & usui servetur.

Datur internè à guttis tribus ad scrupulum semis in vehiculo diuretico, & in ischuria utitur; externè applicatur, & optimum resolvens est: in tumoribus scirrhis, ac frigidis nervorum affectibus, paralyfi, convulsionibus, & similibus morbis confert.

Similiter distillantur Olea

Saponis,
 Pinguedinum, necnon
 Gummi, & Resinarum, quæ in
 pulverem redigi non possunt.

OLEUM DE LATERIBUS, SEU PHILOSOPHORUM.

R. Laterum in frustra mediocria confractorum, . . .
 quantum libuerit.

Candescant, & illico in Oleo Olivarum immergantur, donec omne Oleum imbiberint, dein confringantur, & per retortam igne reverberii Oleum distilletur secundum artem, quod à phlegmate separatum, usui reponatur.

In Paralyfi, spasmo cynico, Ischiadi, gonagra, podagra, cæterisque articulorum affectibus, & morbis omnibus frigidis prodest.